

471

469

475

465

480

460

420

370

Ende

Anfang

456

possent asportari, ante centum annos fuissent deportati. Locus ille ab antiquo fuit primus sancta inhabitatione solemnizatus. Nam Jacob patriarcha hic habitavit, quia, ut dicitur Genes. 35., quando sepelivit uxorem suam Rachel in via, ut dictum est fol. 166 A., abiit inde, et fixit tabernaculum trans turrim Ader, i. e. gregis. Ubi Jeronymus dicit, quod locus ille est prope Bethlehem, in loco, in quo grex coelestis Gloria in excelsis cecinit, ut Magister in Spec. histor. juxta hunc locum allegat. In hoc loco Ruben, primogenitus Jacob, cum Bala uxore patris sui dormivit, et stratum ejus maculavit. Et inde maledictionem paternam incurrit.

Campus ille est ager Boas, in quo Ruth, Moabitis, colligens spicas metentium fugientium [fugare ipsam conantum], sua virtute dominum agri ad se inclinavit, eumque in matrimonium suscepit, et in hoc agro meruit effici mater in genealogia Christi, ut patet Ruth per totum, et Matth. 1. In arvis illius campi ponit David oves patris sui, ibique leonem contra se vincentem dirupit, et ursum strangulavit. De hac victoria bestiarum jactavit se David coram rege Saule, et animum accepit etiam aggrediendi gigantem Goliam Philistaeum, ut habetur 1. Reg. 17. Et credibile est, quod plures leones et ursos interfecit in hoc loco, quia dicitur Sirac. 47: David cum leonibus lusit quasi cum agnis, et in ursis similiter fecit sicut agnis ovium.

Extendit enim se vallis illa contra orientem, usque ad Sodomam et mare mortuum, juxta quod propter aquas Jordani multae ferae diversarum specierum currunt, et noctibus pro praeda per valles ad gregum custodias ascendunt, et animalia domestica rapiunt, si possunt. Ideo David vigil pastor ascendentibus bestiis occurrit et occidit. Sic in (B) hora et nocte nativitatis erant in valle pastores, custodientes vigilias nocte super gregem suam. Porro circa hoc solet fieri quaestio: quomodo pastores potuerunt custodire vigilias noctis, cum esset hiems, et terra gelu constricta, et nivibus cooperata? Ad hoc dicunt orientales, quod pastores bis in anno, scilicet vernali et hiemali tempore vigilias super greges custodiunt. Nam in partibus orientis aestas et hiems non generaliter totam terram immutant, sicut in partibus occidentalibus.

